QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 27 Januarii 1718.

M. PETRO-PAULO GUYART,

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An ablactatis purgatio frequens?

I

FOETUS humanus prægnantis in utero conceptus eandem cum matre cohærentiæ rationem habet, quam fructus cum arboribus. Pro tenui pediculo quo fructus in arbore suspenditur, ductum umbilicalem à naturâ sortitus est, per quem vitæ materiam suggerit apparandam primum in chorio: quo purior defæcatiorque illabatur. In fructibus extremo addita est moles quædam torosior, quæ rugosâ carne villis fibrisque compacta, proprium eorumdem apparat alimentum. Sed neque fructus suis carent integumentis, ut fœtus; nucipонticæ, juglandi & castaneæ unicum est: leguminosa geminum obtinent ut fœtus humanus, cœteris animantibus tria natura concessit; quibus velut additis vinculis aut propugnaculis, infirmitas eorum & loco suo contineretur, & ab externi aëris molestiore vindicaretur incursu. Si quando flatus arborem vehementior succusserit, cùm recens editi fructus, aut cùm jam graves nondum maturitatem adepti sunt, facilè eliduntur intermedio tempore: non ante separari queunt, quàm aut arbori vitium, aut semini fructus erosio à vermiculis accesserit. Prægnantibus quoque humani generis esse solent aëris & flatuum subitæ mutationes; quales sunt recurrentis Aquilonis. Has ideò primis uti nec postremis graviditatis mensibus

purgationis aut Phlebotomiæ motibus, nisi urgeat necessitas, exagitari convenit, aut alia corporis & animi perturbatione quati. Hæc siquidem quæ mediis gestationis temporibus nec movent, nec vim faciunt: nondum confirmato fœtui, abortus causam invehere solent.

II.

INFANS novus naturæ surculus, stirpium more educandus est, hujus cura arti non naturæ committitur. Hæc sylvestres edit, illa facit urbanos. Natura namque nudum & inermem fœtum quasi pondus inutile, aut excrementum quoddam in terram expuit. Ars obstetricis munus obit, ejectum suscipit, secto fovet umbilico, linteis & stragulis pluribus, nunc paucioribus pro regione & anni tempore obvolvit. Molliter ad pectus, paulò strictius ad crura fasciis deligat, cunas locat, cavet ne lux à tergo aut à latere excipiatur; quæ res facilè obtutum invertit, nihil negligit, mulieres quas gestationi in ulnis præficit vult esse Amphidexias, ut in utrumque latus subinde gestatione, artuum symmetria conservetur; horum omnium, ne decubitus quidem ipsius curam idiotis committit: nihil enim est tam facilè quòd non requirat industriam; est scilicet Medicinæ sagacitas supra omnem naturæ vim, quam in obsequium suum cogit universam. Sic quantùm urbana arbos suavitate fructus, foliorum præstantiâ, & caudicis rectitudine sylvestri præfertur; tantùm humanus fœtus artis Medicæ culturâ fotus supra naturalem & spontaneam indolis educationem æstimatur.

III.

URBANITAS quæ arboribus mangonio & culturâ conciliatur, infanti educatione contingit; sine educatione sylvestrem ille induit naturam, totusque strigosior, mille morbis, pravisque moribus, velut ortis undique spinis exhorrescit. Educatio puerorum quidam est magister, quidquid agreste & acerbum est, hac arte extruditur; ab illa corpori valetudo, animo suavitas & urbanitas accedit, luxuriantes & vitiosi succi, velut inutiles rami exscinduntur; meliores industriâ Medici mitioresque inseruntur; nutrix maximè utilis est infantibus, lac optimum si serosum, si temperiem comitem habet omne punctum tulerit, id namque bellè nutrit. Nutrix macra nec sit nec obesa, mamma ejus sit ita disposita, ut ad primos lactentis suctus in grumos lacteos attollatur, alterâ interim sese immulgente, & lac effundente sine suctu papillâ, quæ nec longitudine aut brevitate molesta sit. Præstat sæpiùs conductitiâ nutrice quàm materno lacte nutriri, hæc naturæ, illa artis electioni debetur. Infans quem natura agrestem pepererat, solâ lactis & nutricis præstantiâ plerumque urbanus factus est. Propterea si ab his conditionibus desciverit, alia statim substituatur; si verùm penuria hujus rei copiam non fecerit, ne morum humorumque labes cum lactis vitio in pupum transferatur, melius est in auxilium adhibere bombylia.

IV.

ABLACTATUS infans, velut exempta viviradix majorem artis opem expoſcit, ne corporis labe aut animi vitio ſuffruticet, propterea colonus in primâ explantatione circa arbuſculam totus occupatur: paſtinando, irrigando, ſtercorandoque ſolo, ſarrit adnatas circumquaque herbulas quæ illius obſunt incremento atque nutrimento, dùm meliorem terræ ſuccum depaſcuntur; ſuſtinet caudiculum de pacto juxta palo, brachia in uncos reducta molli inclinatione ad parietes non flectit, ne rumpantur; ſed circumducit ut apricationi inſueſcant. Hæc omnia peragit, dùm ætas teneritudine ſequacior eſt, ligni quippe rigiditas annoſa minus ſe facilem ad motum præbet; illud ipſum infantibus Philoſophiæ munere contingit; honeſta matrona primum debilem infantis animum blandiore ſuſtinet confabulatione, ſenſimque rationis & orationis quibuſdam informat elementis: donec amplius illius aures & animus patuerint, ac tùm pædagogo velut unco adhibito paulò ſtrictius continetur. Hujus opera ſit initio ut fabulæ & anilia deliramenta procul abſint, quæ quaſi juxta mentem conſitæ plantæ inutiles, uberem fructibus rationis ſegetem necant; Medicus pariter curat ut bilis Urticæ, pituitæ Muſcus, bilis atræ Melanthium, plenitudinis Orobanche, & ſimilia malorum humorum gramina quæ nimiâ & minus elucubratâ eſitatione in dies juxta viſcera ſuccreſcunt, puerileſque morbos omnes generant, eradicentur. Id ipſi facilè eſt irrigatione & ſarturâ; irrigatio victus humidus puerorum naturæ ſingularis, pulticula tamen non deneganda ablactatis, uti nec alimenta ſolidiora poſt eruptos dentes lactentibus, quibus alvus aſtrictior eſt, iis offulæ juſcula & panatella magis proſunt, carnes ſeriùs veniunt in uſum. Frigidæ irrigatio juniores plantas aut necat, aut pumilas reddit, tepidior vegetat; frigidæ potione interdicantur ablactati, hæc ſæpè cæliacum fluorem excitavit inteſtinis & ventriculo lævigatis. Ut ergo pituitæ pernicies amoliatur, tepidè bibant: Nunquid vinum pueris adhibitum tempeſtiva res eſt, & quâvis irrigatione potior? eò feliciùs adoleſcunt illi, coloratiores redduntur, & convulſionibus minùs patent.

V.

CAPITIS infirmitas, mollis corporis textura rarior, ablactato infanti, ad pueritiam uſque propria eſt, & quaſi naturalis. Hinc miſellus circumſeptus pluribus patet morbis, quàm ulla alia ad ſenium ætas. Omnes ferè perniciem minantur, ipſumque ſine dubio in vitæ exordiis opprimerent, niſi ars Medica ſuppetias ferret. Hæc velut in plantarum genere fit, aſſiduâ quaſi foſſione viſcera reddit mollia, ſarturâ multiplici pravia malorum humorum germina diligentiùs extirpat. Purgatio ſarritio quædam eſt, capiti adhibeatur inuſto cauterio macrocephalis totius corporis emunctorium, exhibitâ

aëris clementiâ viſcerum portis Catharſi. Hæc penè quotidiana ſit, ut in illis multiplex in dies atque in horas cumulatur illuvies; non ſic de venæ ſectione ſtatuendum, quæ in ſecundâ puerorum valetudine periculoſior eſt. Purgatio contra quò frequentior eò tutior; primordia generationis morborum in ipſo fonte elidit, ventris libertatem conciliat, venarum per quas alimenti diſtributio fit, oſcula patefacit, chylum & ſanguinem purificat, & ab omni puerilium morborum catervâ ſtrenuè vindicat. Adde quod ventriculus nullâ ex parte purgatione læditur, ſolâ humoris corruptelâ frangitur validus, purgationis aſſuetudine corroboratur infirmior. Longè diſpar eſt quippe viventium & mortuorum ratio. Corium bubulum quantumvis durum & ſolidum in calceamentis vix menſem durat, inceſſu ſtatim deteritur; ſi nudus ambules, naturalis ſolea non tenuatur, ſed occaleſcit, & manus vola nullum affrictu patitur detrimentum: Ventriculus pari modo vivens, tunicâ, cathartici vim frangit, non illa frangitur. Vides ut conſimilis uſu frequentiore medicamenti natura abutatur, propterea variis medicamentorum formulis opus eſt; ſecùs ejuſdem ſæpiùs repetitæ purgationis vis omnis evanida fuerit. Audacter igitur ablactatos purga, nihil opportuniùs in infantis commoda præſtat ars Medica, quam ſi illi temperatum aërem, & purum aſſiduâ purgatione ſubminiſtret alimentum.

Ergo ablactatis purgatio frequens.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Joan. B. Fauſtus Alliot de Muſſay.	*M. Claudius Anton. Renard.*	*M. Bertinus-Simon Dieuxivoye.*
M. Nicol. le Tellier.	*M. Franciſcus Bailly.*	*M. Joannes Boudin, antiquus Facultatis Decanus, & Regi à ſanctioribus Conſiliis, & Sereniſſimorum Delphini & Delphinæ dùm viverent, Medicus Primarius, & Medicus Regis perpetuò ordinarius.*
M. Petrus Afforty, Rei herbariæ Prof.	*M. Andreas de Laleu.*	*M. Guido-Eraſmus Emmerez.*

Proponebat Pariſiis LUD. CLAUD. BOURDELIN, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1718. à ſextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.